

Deus ostendet splendorem tuum.

Léctio libri Baruch prophétæ

5, 1-9

- ¹ **E**xue te, Ierúsalem, stola luctus et vexatiónis tuæ
et índue te decóre eius,
quæ a Deo tibi data est glóriæ in ætérnum.
- ² Circúmnda te diplóide iustítia, quæ a Deo est,
et impóne mitram cápiti tuo glóriæ Ætérni.
- ³ Deus enim osténdet omni, quod sub cælo est,
splendórem tuum.
- ⁴ Vocábitur enim nomen tuum a Deo in ætérnum:
Pax iustítia et Glória cultúræ Dei.
- ⁵ Surge, Ierúsalem, et sta in excélso
et circúmspice ad oriéntem
et vide congregátos filios tuos
a solis ortu usque ad occásum
verbo Sancti, gaudéntes in memória Dei.
- ⁶ Exiérunt enim abs te pédites abdúcti ab inimícis;
indúcet autem illos ad te
portátos cum glória sicut thronum regni;
- ⁷ constítuit enim Deus humiliáre
omnem montem excélsum et rupes perénnes
et conválles implére ad æqualitátem terræ,
ut ingrediátur Israel in securitáte glóriæ Dei.
- ⁸ Obumbrábunt autem et silvæ et omne lignum suavitátis
Israel ex præcépto Dei.
- ⁹ Præíbit enim Deus Israel cum lætítia
in lúmine maiestátis suæ,
cum misericórdia et iustítia,
quæ est ab ipso.

Verbum Dómini.